

4
1384/2

1384

214

EPISTOLA
AD
JOSEPHUM
COMITEM VIMIOENSEM.

NCB-1256386

20

INSTITUTION

LIBRARY

OF

THE UNIVERSITY

OF CALIFORNIA

219

EPISTOLA
AD
JOSEPHUM MICHAELEM
COMITEM VIMIOSENSEM,
Regiæ Academicæ Socium.

QUAM
EJUSDEM ACADEMIÆ NOMINE
EXARAVIT
EMMANUEL PEREIRA
DA COSTA.



ULYSSIPONE OCCIDENTALI,
Excudebat ANTONIUS ISIDORUS DA FONSECA.

M. DCC. XXXVI.

221

F A C U L T A S S A N C T Æ I N Q U I S I T I O N I S .

E M I N E N T I S S I M E D O M I N E

Perbelle scriptam, peregre elaboratam, epistolam istam verè Catholicam, ab Emanuele Pereira da Costa, Excellentissimi Comiti do Vimioso, in amoris signum, transmissam, quam typis mandare contendit Antonius Isidorus da Fonseca; maxima cum jucunditate, gaudio, & attentione vidi, legi, atque evolvi. Sileant jam nunc, & obmutescant Poetarum, Oratorumque epistolæ, quas Fama canit, & Orbis concelebrat, dignior quippe ista relucet, fulget, rutilat: relucet ex objecto verè Principi, fulget eruditione vere aurea, rutilat demùm, cum sit fide pura, bonisque moribus nil repugnans. Sic sentio. Ulixbone Occidentali. In Conventu Deiparæ a Bonahora Excalceatorum Sancti Augustini. Sub die 11. Novembris anni 1735.

Fr. Antonius á Sancta Maria.

Vista a informação, pode-se imprimir a carta, que se apresenta, e depois de impressa, tornará para se conferir, e dar licença que corra, sem a qual não correrá. Lisboa Occidental 11. de Novembro de 1735.

Frey R. Alancastre. Teixeira. Silva. Cabedo. Soares. Abreu.

A

DO

Do Ordinario.

PO'de-se imprimir a carta, que se apresenta, e depois de impressa, tornará para se conferir, e dar licença para que corra. Lisboa Occidental 14. de Novembro de 1735.

Gouvea.

Facultas Regia.

DOMINE,

EPistolam Legi (quam mandare typis intendit Antonius Isidorus da Fonseca) emissam ab Emmanuele Pereira da Costa Comiti do Vimioso, in quâ Artis Apollineæ meliora documenta reperio, & urbanitatis, erga Comitem, jure merito concionata. Idcirco dignissimam censeo, ut publicam lucem videat, & luci detur. Ulyssipone Occidentali, 10. Januarii 1736.

Joannes Couceiro de Avreu e Castro.

Que se possa imprimir, vistas as licenças do Sancto Officio, e Ordinario, e depois de impresso tornará a Mesa para se conferir, e taxar, que sem isto não correrá. Lisboa Occidental 13. de Janeiro de 1736.

Pereira. Teixeira. Rego.



TOTIUS OPERIS ARGUMENTUM.



CADEMIA Regalis ægrè ferens
 absentiam **COMITIS** do Vi-
 mioso, Eboræ in Transtagana Pro-
 vincia adversus Hispanos bellan-
 di causa commorantis, ei, ut ejus-
 dem Collegii Socio, hanc epistolam
 mandat, causasque sui doloris, illo
 cunctante, expromit. Variis rationibus eum à belli
 proposito dissuadet: postea se videre **COMITEM**
 in contraria agmina irruentem fingit: pugna descri-
 bitur:

bitur: Academia dolore amens, & Alumni sui desiderio vehementer ardens, de Palatio quæsitum nuntia ejus egreditur: ad portum vadit: per Tagi ripas vagatur: nuntia nulla accipit. Anxia COMITIS Palatium petit; narrat, quod illic vidit. Inde ad Regiam suam revertitur: ibi vel labore itineris fessa, vel præ desiderio magnitudine animo deficit. Apparet illi Fama: solatur eam: adventum COMITIS breviter enuntiat: causas, quæ illum, ut arma caperet, impulerunt, exponit. Postremò Academia, adhibita deprecatione COMITI, ut reditum maturet, finem dictis imponit.





A. Quillard. scul.

EPISTOLA
JOSEPHO
 COMITIDO VIMIOSO.



Debris. fecit.

U A' Tagus undivago tumidus premit
 arva metallo,
 Lambit & Argolici mania celsa Ducis;

*Hinc tibi digresso mærens Aademia mittit
 Regalis numeris verba notata suis.*

B

Si

*Si mea plus equo fuerit tibi littera tristis ,
 Da veniam ; tristes tristia dicta juvant :
 Non ita se nobis præbet fortuna secundam ,
 Ut veniat plectro lata Camena meo.
 Quid faciam infelix ? Gemitus dolor edere cogit ;
 Nec mihi , quæ patior , dissimulare licet.
 Heu ! Ubi pacta fides ? Ubi nostræ fœdera dextræ ?
 Quamprimùm in doctos vota redire lares :
 Hoc mihi per caput , & superos jurare solebas ;
 Me miseram ! In rapidos cuncta abiere Notos.
 Ad caput ante suos revocabunt flumina cursus ,
 Quàm possim meriti non memor esse tui :
 Ad caput , ô rivi , placidos revocate liquores ,
 Me falso ingratus lusit amore Comes.
 Ah ferus ! Et nimum ferus ! Hec tibi nomina dicam ?
 Non me tam sævam scribere cogit amor.
 Hæcine quæ nostræ debentur præmia palma ?
 Hæc est in cultus ara reperta tuos ?
 Non hic clara tuæ captantis corda Minervæ
 Ora sonant toties aure recepta meâ :*

Æmula Romani facundi scripta parentis
Cūr tua plaudenti cerno negata mihi?
Quó fugit eloquii flumen? Quó dulcius illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis?
O' tua quàm subeunt animos modulamina! Dexter
Cætera queis inter semper Apollo favet.
Sacra Medusæi dat equi tibi pocula Phæbus
Largius, & totus Numinis ardor ines:
Florida, ut ornarent tua tempora, munera Pindo,
Defuit & docto laurus amana jugo.
His tamen, infelix! Spolior nunc omnibus. Insons
Cūr ego delicti ferrea vincla trabo?
Te sine collabi videor mea tecta: resurgens
Atlas hoc Cælum, qui ferat, unus eras:
Te sine doctorum conventus turba virorum
Odit, & à studiis dissidet illa suis.
Ut quondam in corpus non hæc est ausa coire
Jure: suum tristis sentit abesse caput.
Aurea deest animos vincetas Alcidis ad instar
Nunc tua, que ducat, docta catena mihi.

Te nunc disjuncto mœrent subsellia: rostra
 Cunctaque crudeli tacta dolore gemunt.
 Murice suspensò paries nudatur; ab isto
 Splendida cum speculis bractea vulsa suis.
 Littera tota libris, heus! In suspiria versa est;
 Sitque dolor maior, singula verba dolent.
 Omnia triste jacent: planctus sunt omnia plena;
 Mœstitiâ ast ipsâ plus ego mœsta premor.
 Te socii cupiunt socium, pariterque Magistrum;
 Te natum cupio ceu pia mater ego.
 Flebilis effigies sacri veneranda Lycei
 Dum fugis, incultâ corpora veste tegit.
 Te vocat absentem: te crebrò nominat unum;
 At sua, quàm doleo! Lemmata falsa puto:
 Reddere cuneta lego statuat promittere; reddat
 Te Comitem nobis, omnia restituet.
 Heus! dilecte Comes, nostras cùm deseris oras?
 Elhora cùm gremio te rapit ampla meo?
 Si trahit Elysi te nunc ibi gratia collis,
 Nil tibi Phœbeis dulcius extat agris;

Seu jurvat ire feros jaculis violentus in apros,
 Hortarique citos per juga summa canes,
 Pallade nobilior fuit unquam Diva triformis?
 Procreat aeternos sola Minerva viros.
 Forsitan insignis specie deprenderis urbis?
 Hec opibus reliquas, arte, poloque praet.
 Hinc tibi si Cæsar jussit discedere; Cæsar
 Te ferat huc noster fortior alter amor.
 Si tamen à patriâ removet te Palladis ardor,
 Spicula amoris habe; Martia tela fuge.
 Plus canit egregios dulcis puer ille triumphos,
 Ora canunt rabidi quàm truculenta Dei.
 Pulchrior ex Paphio floret certamine laurus;
 Clarior est manibus præda petenda tuis.
 Cor hic dulce ferit; furit ille in membra tyrannus;
 Hic animas tollit; corpora at ille tenet.
 Nominis excelsi studium si pectora pungit
 Nunc tua, ut impavidus Batice in arma ruas?
 Haud opus illius: quo polles femate cunctos
 Plus licet ornatos plus decorare vales

*Nec tibi deficiunt , quæ fundis lumina , Solis
 Inſtar , qui nitidas ſpargit , habetque faces.
 Respice Maiores ſpirantia fulmina Martis
 Haud decus his tantis arma dedere viris ;
 Quin etiam generis ferrum ſplendore coruſcat ,
 Palmaque jam titulis vernat adaucta ſuis.
 Bella ferant alii rapidi per tela , per hoſtes ;
 Quos canit egregios inclyta fama viros :
 Creſcere poſſe putant : hoc armis querere tentant ;
 Non tua quò fiat gloria maior habet.
 Digna tuis meritis ſtatuet quæ premia Princeps ?
 Exiguum munus ſi venit omne tibi ?
 Haud tibi par factis referetur gratia ; ſceptra
 Stat potius meritis vinc̄ta tenere tuis.
 Cedant arma toge : nutrit ſua caſtra Minerva :
 Fertilior docto palma vireſcit agro.
 Prodiſti in lucem magnus ; nunc maior ut extes ;
 Non opus eſt fortis caſtra ſubire Dea.
 Sufficit exculta mirari prælia frontis
 Docta , quibus ſemper clara trophea refers.*

Sufficit enumeres præclara encomia vivax,
 Queis tolli ingenium cernis ad astra tuum.
 Haud incerta loquor: centena epigrammata volve,
 Carmina sydereâ concelebranda chely.
 Quot tua legerunt sacrati Montis Alumnae,
 Tot bifido statuas imposuere jugo.
 Sufficit excelsi gestorum scriptor Alôysi
 Principis, invidiam cui tua lingua parit.
 Sufficit hîc toties mentis repetita diserta
 Charta tuæ dio condecorata sono.
 Dicere plura libet; sed grata modestia navim
 Impulit in medio cogere vela mari.
 Hæc sunt divinarum operum monumenta tuarum,
 Queis superas reliquos clarus in arte viros.
 At si te monstrent maiorem scripta; supersit
 Esse præangusti semina celsa patris:
 Illius innocuo sublimis pectore, cujus
 Ars, pietas, certam constituere domum:
 Pompeio qui gratior est, graviorque Catone,
 Munere Alexander, Religione Numa.

Divorum auspiciis qui solùm missus ab alto,
 Gigneret ut terris pignora tanta, reor.
 Cuique admirandi vox est Demosthenis ultrà
 Verba: suâ tantus splendor in arte micat!
 Quid memorem nunc pene immensa volumina, quorum
 Complaudens toties hîc ego testis eram?
 Illo maior nemo; at si se vicerit ipsum,
 Marchio tunc, nobis credito, maior erit.
 Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum;
 Regales talem progenuere patres.
 Hunc sequere, & tanti vestigia semper adora
 Clara viri; poterit sic tua nemo sequi.
 At quò me rapiunt, Princeps, tua nomina? Phæbi
 Quis valuit radians dinumerare jubar?
 Te Citharâ olim maiori, plectroque célèbrem
 Permissa à superis si mihi vita manet.
 Sed cùr hæc refero? Quò nunc verba irrita tendunt?
 Si placet in turmas obvius ire feras.
 I, sequar; & dubiis patiar comes esse periclis;
 Quandoquidem sociam me tibi junxit amor.

Antevolem armigeras semper furibunda cohortes,
Et clypeus fiam corporis ipsa tui.

Complacet atque mihi crudeli occumbere Marte,
Ne sis hostilis præda cruenta manûs :

Haud vereor bellum ; deservit pectore maius ;
Arma mihi præcepit tela Cupido dabit.

Si tamen acciderit , Dî talem avertite casum !
Ictibus adversis hostia sæva cadas :

Tunc simul exangues animas linquemus amantes,
Me desiderium , te furor interimet.

Hei mihi ! terribiles sonitus audire tubarum,
Tergaque jam videor pulsa sonare boum.

Undatim volitant rapidis ludibria ventis
Signa ; nivis specie ferrea massa volat.

Agmina , ceu rabidi jam jam moritura , Leones
Irrumpunt : Mavors undique tela jacet.

Spicula dura vibrant : jacula emittuntur in auras ;
Auditur castris nil nisi triste sonans.

Terrificant animos rauco tormenta boatu,
Cum ruit ignivomo pulsus ab ære globus.

*Hæc ipsa ejiciunt nigrantem ad sydera nubem
 Fumanti in noctem turbine versa dies.
 Heus! roseam vomit iste animam; fert ille cruenta
 Pectora; spumanti sica cruore madet.
 Sanguine casorum rubuerunt gramina; rivos
 Ceu mare purpureos intumuisse putes.
 Alta cadaveribus coiére in culmina valles;
 Cuncta pavor, strages, ira, ruina, dolor.
 Quid moror, o Divi? impediunt que vincula plantas?
 Cur vite auxilium non fero gnava mea?
 Ferte, quid hic facio! rapidi mea corpora venti;
 Redde mihi pennas redde Cupido tuas:
 Quas vomit ignitas hostilis Machina glandes,
 Vos precor, o vestras nunc cohibete minas!
 In furias hostes bellantes vertite diras,
 Servate absentis dulcia membra mei:
 Expirante cado, illo respirante, revivo;
 Hæc duo tam fortis pectora necit amor!
 Amplius haud moror; aurato discedere tecto
 Collibet; & comitis certior esse placet.*

Este procul cultus dum fata, Deusque sinebant

Pignora veraci semper amata fide:

Este procul niveo gemmata monilia collo,

Non est conveniens luctibus iste decor.

Regia, qua toties calcavit tecta, valete;

Ventorum semper turbine tuta rogo.

Dicite, si forte has Comiti pervenerit cedes

Querendi causa nos abiisse sui.

Sed, si luce dolor non me spoliavit acerbus,

Dicito venturam limina nostra citò.

Egredior sive illud erat sine funere ferri

Squallida diffusis agra per ora comis.

Atra pedes nostros heu! Vestis currit ad imos,

Et capiti, & collo lumen abesse juvat;

Nec famulae tanti mersa caligine luctus

Esse meis comites tum renuere malis:

Quò ferar incertum: vicis, curroque plateis,

Nunc hac, nunc illac, caeca dolore vagor:

Invenio nullum de te, qui multa roganti

Ulla mihi referat conscia signa tui.

Augescit

Augescit gemitus: sinuosa ad littora vado;

Hinc scio te madidis vela dedisse Notis:

Et quaecunque procul venientia lintea vidi,

Protinus illa tuas auguror esse rates:

Sæpe precor faciles tribuant tibi Numina fluctus,

Et tangat portus salva carina suos.

Accedunt propius; sunt, heus! Tua carbasa nulla;

Hæc rogo, quæ tanta sit tibi causa moræ?

Ignorant; feror inde Tagi per littora mærens,

Arva patent oculis tristia sola meis:

Quin etiam rami positis lugere videntur

Frondeb; & nullæ dulcè queruntur aves:

Te, Tagus in mare puro olim se gurgite volvens,

Fluctibus incusat turbidus usque suis:

Incusat tardum, & querulo te murmure clamat

Sedulus hoc teneas remige amore vadum.

Jam neque Hamadriades, Driades, Tagidesque Napææ

Te, celebrant agiles, hinc abeunte, choros.

Crinibus effusis errare in margine cerno,

His nulla antiqui signa decòris erant.

Antra petunt aliæ; resonant plangoribus antra;

Et reddit mæstos Barbitos iæta sonos.

Mox huc, mox illuc, & utroque sine ordine curro,

Virgineos ingens tardat arena pedes.

Sic ego diffusis erravi mæsta capillis,

Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo.

Interea Comitum clamanti littore; nomen

Ipsa mihi reddunt concava saxa tuum.

Hic mare prospiciens in saxo frigida sedi:

Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

In geminum pelagus tabescere lumina sensi;

Ægra parum duplex conqueror esse mare.

Dî facerent ipsâ me tunc ex urbe videres;

Movisset vultus mæsta figura tuos.

Sarmatica quamvis sis plus ferus hospite silvæ

Protinus è rigido confidet ira sinu.

Urget amor; properans tua ad alta palatia tendo;

Oh mihi si sineret dicere visa dolor!

Invenio patrem discessus damna gementem;

Concluso latebris omne levamen abest.

Haud notat ; haud legit ; extra tædet limen abire ;

Et solùm ut venias verba legenda notat.

Procedo ulterius , prò ! Quæ suspiria fundunt

Tum conjux , frater , mater , & agra soror !

Uxor flens gravius , quod plus ardore liquefcit ,

Æmula syderibus lumina ad astra ferens

Lumina ; nam teneras urgebat filia palmas ,

Hac miserâ impatiens sydera voce quatit :

Quandò erit , ô superi , quò me crudelia , tempus ,

Fata sinant placido ducere vela freto ?

Quæ mea cælestes injuria fecit iniquos ?

Invadit tantus pectora diva furor ?

Si scelus est nimium tædæ flagrare jugalis

Ignè ; hujus sceleris me juvat esse ream.

Conjugis urit amor dulcis quòd pectora , mulctor ?

Quid mihi si thalamos ipsa perosa forem ?

O' cùm erit illa dies , mea lux , qua vota quiescant ,

Et foveam casto pectora fida sinu.

Nocte premor longâ viduato obscura cubili ;

Æquum est ; distanti Sol meus axe nitet.

Incipit

Incipit igniferas Titan agitare quadrigas ;
 Incipit heu ! Noſtri cauſa moleſta mali :
 Conſcendit rutilans medios altiffimus orbes :
 Anxia mæroris creſcit origo mei :
 Mergit anhelantes fluitanti marmore currus ,
 Ipſe ferit ſæuus pectora noſtra dolor .
 O' ego ſi mea , quò mitto ſuſpiria , poſſem
 Nunc cupidum tacito limen adire pede !
 Nec mihi Erytræi ſerpunt per colla lapilli ;
 Quin venias ardet gemma nec ulla manu :
 Diſplicet ☉ Tyrio tinctum mihi vellus in oſtro ;
 Nec placet Eoi lucida bacca maris :
 Conveniunt famule non gratâ vòce precantes ,
 Indue coccineos , ſponſa relicta , ſinus :
 Scilicet ipſa geram ſaturatas murice veſtes ;
 Bella ſub Hiſpanis manibus ille geret ?
 Ipſa comas pectar ; galeâ caput ille prematur ?
 Ipſa novas veſtes ; dura vir arma feret ?
 Prò Mars crudelis ! Finxit qui haſtilia primus ,
 Ille ſibi demens ænea corda tulit !

Ænea corda tulit. Valuit non reddere plura;

Singultu medios præpediente sonos.

Ad mea tum lacrymans vertor penetralia; damna

Præmeditans luctus singula quæque mei:

Ascendo, & validis defessa innixa columnis

Vix potui celsos ægra subire gradus:

Limen ut intravi, subito calor ossa refugit,

Procumbo mediâ semîanimisque domo.

Ter conata loqui, ter cesso; languida tantus

Hei mihi! Tunc frigans pectora sudor obit!

Stant circum famula; miscentur fletibus ades;

Et lacerat miseros squallida turba sinus:

Unanimes omnes contraria fata gementes,

Nostra locant molli corpora lapsa toro.

Ecce sonante leves magno stridore per auras

Cuncta novo radiat mersa nitore domus:

Vix oculos tollo; medium se scindere cælum

Conspicio. Mirus detinet ora stupor!

Tum subito velox rutilans per inania Monstrum

Totum aures, lingua, lumina, penna volans

Constri-

*Constitit ante oculos; dextrâ tuba clara coruscat,
 Quâ Sol ut niteat lumina cuncta bibit.*
*Obstupui, gelidusque comas erexerat horror;
 Cum mihi, pone metum, Nuntia præpes ait:
 Me tibi Rex Divûm solamen mittit olympo,
 Ut careant diris mollia corda malis:
 Nunc cohibe fletus: Comitem bene scito valere,
 Curare ad patrios jamque redire focos.
 Ut proavos vidit Mavortia signa sequentes,
 Illorum factis se genus esse probat.
 Depudet Heroum censeri sanguinis hæres,
 Si non istorum fortia facta refert.
 Inclita perpetuos meruit domus ista triumphos,
 Virtute, ingenio, robore, stirpe, manu.
 Associata suis semper victoria castris
 Haud timet Hispani prælia sæva Ducis.
 Aspice, ut obtentâ Comitum certamine palmâ,
 Ambiat excelsas laurea parta comas!
 Aspice, quam spoliis calcati Martis onustus,
 Agminis ingreditur cuncta per ora sui!*

Ille feros victor semper contundet Iberos,

Pectoris invicti signa canenda dabit.

Ergo age: dicta celer tecla ad Vimiosia defer:

Dixit; ☉ aetherea tendit in astra via.

Pallor abit; subitasque vident in corpore vires;

Tantus caelesti venit ab ore vigor!

Haud moror; exultans torpentia strata relinquo:

Inque Valentinam nuncia mitto domum.

Anxia percipiunt alacrem sua corda vigorem;

Depellunt questus gaudia capta graves.

Lata tui infundunt animos si nuncia; cerne

Quid dabit aspectus, te remeante, tuus?

Nunc, Comes o dulcis, vita mihi charior ipsa,

Sint, precor, a nobis funera passa satis:

Per tibi perpetuum juro quem semper amorem,

Mirandi ingenii rara per ora tui:

Per mea, perque simul chari lamenta parentis,

Per thalami sociam, progeniemque tori:

Per corpus, reditusque tuos mea Numina posco,

Neu finito indigno corda dolore trahi.

Tolle

Tolle moras: nostro pellantur pectore nubes;
Ut faciens Iris cuncta serena veni.
Aspiciam optatos solis radiare nitores;
Post tenebras Phæbus clarior ire solet.
Ocyus ut redeas, Paphias assumito pennas,
Nam subito venias serò venire puto:
O' ego si tibi dum fidos perscribo libellos,
Audirem adventus nuncia certa tui!
Quot pia sacratis adolerem munera templis!
Iret & in plausus tota Thalia suos.
O' Superi, faciant cum postera fulserit Eos,
Luce scat votis ultima meta meis.



Tolle mater: nosse polleant pectora nostra:
Ut faciat hic puerus ferreus unum
Afficiam optatos hinc pueri muros:
Post tenebras Phœbus erit in sole:
Ogus ut roborat, hic puerus puerus
Nunc subit omnia hinc pueri puerus
O ego si tibi dicit hinc puerus hinc
Anthem dicitur hinc puerus hinc
Quot pin faciat hinc puerus hinc
Ius in hinc puerus hinc
O Zeno, faciat hinc puerus hinc
Luceat cum hinc puerus hinc

